



R A H V U S A R H I V



Ajalooarhiiv

Säiliku kinnituskirje

Fondi nr 1874

Nummerdatud on 72
järjekorranumbritega
literaga
vabale jaamud

EAA.1874.1.188

Vormistamise iseärasuse
Postimaksevahendid
margid
ümbrikud
postkaardid
stambid, plommid
Pitserid
Trükistööd
Fotod
Puhtad lehed vesimärk
Teised erinevused (isc
Füllsiline seisukort (r

Säiliku nr 188

lehe

lehed, pealekõeabinud dokumendid jne)

H: EAA.Vahi:11

Kontrollitud:
kuupäev

kuupäev alikiri

Laenutus

14.01.2023
Tolvo Reitalu

Füllsiline üldõlemine
mikrofilmid
tehnud kserokoog
destabiliseeritud
puhastatud tolmu
restaureeritud
joodetud

kuupäev 01.04.2003

allikiri

Emo

Perekoni krašviu Berg

Šiaulių miesto
Muziejaus išlaidos knygos
T.M. 1874 m. 1 - 1875 / 29





M E M O R I A

IN SIGNIS ORDINIS

STEPHANI

HUNG. REGIS APOST.

SECULARIS.

VINDOBONAE

TYPIS STATUS PROCUSA

MDCCLXIV.

M E M O R I A

IN SIGNIS ORDINIS

S. STEPHANI

HUNG. REGIS APOST.

S E C U L A R I S.

VINDOBONAE

TYPIS STATUS PROCUSA

MDCCCLXIV.

BENIGNISSIMO

IMP. CAESARIS AUGUSTI HUNG. REGIS AP.

FRANCISCI JOSEPHI I.

IUSSU EDITA.

MARIA THERESIA.

 Centesimus labitur annus, ex quo alma Hungariae
Mater, Imperatrix Regina M. Theresia, vigesima
prima mensis Februarii die, institutionem Ordinis equestris,
venerando Protoregis S. Stephani nomine insigniti, Cancella-
rio suo Hungarico-Aulico,, Comiti Francisco Eszterházy,
sequentibus benignis literis annunciat:

„Ich war von Zeiten meiner Regierung dahin be-
sonders bedacht, dass nicht nur was zum Nutzen,
sondern auch zur Ehre und Ansehen des Königreichs
Hungarn und der Nation etwas beytragen kann, nicht
verabsäumet wurde. In dieser Absicht habe anbe-
fohlen einen Entwurf von einen ungarischen Ritter-
Orden zu verfertigen, welchen auch unter den Titel
des Ersten Apostolischen Königs, des Heyl. Stephani,
mildest resolviret habe. Zum Ordens-Kanzler benenne
dem Ungarischen Hof-Kanzler, und solle dieses Amt,

gleichwie in denen Statutis festgesetzt, jederzeit mit der Ungarischen Hof-Kanzlerstelle vereinigt bleiben. Diese meine Resolution solle dem Consilio Locumtenen. Regio, und auch dem Bano per Rescriptum kund gemacht werden, damit dieselbe in dem Landt publiciren können. Zweifle nicht daran, dass auch aus diesen das König Reich erkennen wird: was ich für eine besondere Achtung für die Nation habe, und wie sehr mir derselben Ehre und Ansehen angelegen seye!

MARIA THERESIA m. p.^u

Et sane! omnis Augustae vita documentum est singularis Ejus in gentem *Hungaram* studii: quae vicissim a primordiis tenero in Dominam suam affectu ducta, raro in historiarum annalibus *fidei ac constantiae* exemplo, dum Regina vixit, Eam pie venerari, omni devotionis cultu prosequi, post obitum vero memoriam Ejus pari cum pietate colere nunquam desiit; *eodem* pietatis cultu ad *seros quoque nepotes* transmisso. —

Quid proinde aequius, *seculari* hodiernae diei *solenitati* magis decorum ac conveniens? quam revolvere mente ac per *summos* adminius *apices* adumbrare illustrem hanc vitam *immortalis Reginae—Hungariae* in tantum *Matris amantissimae*, ut pro Ea grata gens *Hungara*, nullo non tempore,

vitam cum omni fortunarum suarum sacrificio devovere
gloriae sibi duxerit; comprobans hac fide intemerata, vota
vatis *Pannonii* Augustae coaevi, his verbis nuncupata:

„Igne sacro fervent *gratae* Tibi pectora *Gentis*,
In *Te* quae *Matrem* cum pietate colit.
Et toti *Austriadum* Domui cum *sanguine vitam*,
Pectora, fortunas, spesque, fidemque vovet!“

I.

Duodecimo a sopitis per tractatum Szatmáriensem procellis civili-
bus anno, Status et Ordines Hungariae, Partiumque ei adnexarum, erectis
insta meliorum temporum spe animis, *Pragmaticam Sanctionem* legum
Regni fundamentalium tabulis inscripserunt. — De Augusta infante Maria
Theresa, quae, dum novum hoc, et perpetuo duraturum, Regem inter et
populum Hungaricum foedus ictum esset, sextum nonnisi aetatis egit an-
num, subinde iam percrebuit fama: in Ea, venustate formae, omnibusque
tenerae puellaris aetatis illecebris conspicua, vivido ingenio, suavitateque
animi mire instructa, felix salutis publicae pignus populis adolescere.

Neque spes haec gentes fefellit. Imo, imperio M. THERESIAE regene-
rationis Monarchiae Austriacae gloria prorsus peculiaris et propria est.

Haereditariae nempe ditiones, per decursum séculorum gloriose
Augustae Domus sceptro subiectae, singulae fere propriis, nec vero iisdem
regebantur legibus, praevalente quoque saepius Statum Provincialium
in ipsa administratione publica influxu; arctiore vix quam ipsius
communis commodi vinculo, sub sceptro Ejusdem Imperantis in societa-
tem iunctae. — Sub excelsa tamen tot tantorumque Caesарum Haerede
novus idemque „*magnus ab integro seclorum nascitur ordo*“.

Cum Augustae Imperatrici ac Reginae in *arctiore* ditionum suarum
Unione totius Monarchiae salus *firmiori* talo niti videretur: quid mirum,
omnes ejus longa annorum serie conatus in id vel *maxime* fuisse intentos:
ut jacto *isthac* communis roboris ac felicitatis *fundamento* omnium et sin-
gularum monarchiae partium integrantium saluti *efficacius* ac unquam

antea prospiceretur? — Ideo ditionum *Austriacarum Bohemicarumque* administratio uni delata summo Senatui, cui praefecturae Provinciarum, his porro magistratus Circulorum subiectae essent, auctoritate collegiorum, olim majori *autonomia* gaudentium, posterioribus attributa; quo, intime inter membra unius ejusdemque corporis nexu posito, vis celeritasque rebus gerendis addita est. — Firmando, quod vacuum reperit Augusta, aerario, auctis per promotam industriam in artibus, in quaestu, in agricultura, opibus civium; porro deletis iniustis immunitatibus, levamini subditorum aptiore onerum publicorum repartitione consultum. — Rei militari, fine tuendae contra hostes Patriae, non solum iuste ordinato delectu militis, augmentum, sed magis exacta tironum institutione ac disciplina, centurionumque omnis ordinis educatione novum etiam robur procuratum. — Colonis per *legem*, quam dicunt, *urbarii* ab arbitrio dominorum terrestrium tutis redditis, et humanitati satisfactum, et conditio eorum omni sub obtutu beatior reddita. — Denique culturae morum, humanitatis, ingeniorumque per liberales artes et literas ita undequaque provisum, ut ex his auspiciis mox laetiores in dies hoc in stadio progressus non vane augurari licuerit.

Paucis: si statum rei publicae, dum magna haec Imperatrix solium avitum consernit, consideres: membra populorum disiecta, regimen infirmum, militem pareum, vim aerarii labefactatam, culturam denique animalium non explicatam; evoluto vero octo lustrorum spatio roboratam arctiore ditionum haeredifariarum unione monarchiam, jura Principis et civium integre sarta tectaque servata, instituta fovendis industriae et quaestui, aegris et pauperibus, educationi et disciplinis florentia, concordiam populorum et dignitatem Coronae mire firmatam, conspicias, nec proinde immerito M. THERESIAM non tam restaurasse Imperium, quam denuo condidisse, dixeris.

Et quid de Ea qua Rege *Hungariae*, et de *Hungaris*?

Erepto vix e vivis Augusto Patre CAROLO, Filia viginti tres annos nata, ante quadriennium Magno Hetruriae Duei FRANCISCO Lotharingico

nupta; et iam unius filiae mater, alteram vero prolem utero gerens, iure per *Pragmaticam Sanctionem* legitime quaeſito, et ab omnibus fere Europae Principibus agnito, regnum capessivit, et secunda a patris obitu die XXII. quippe Octobris anni MDCCXL. Ordines Hungariae, Provinciarumque huic adnexarum, solennibus literis de auspicato regimine, deque conservandis regni legibus et convocando mox generali conventu certos fecit. At laetum populi animum, brevi, gravis de sorte Reginae, deque venturi temporis eventibus sollicitudo occupavit, dum fama de infiustis Principum exterorum in Augustam tot tantorumque Caesarum Regumque haeredem moliminibus, Patriam pervasit. — Primus hostilem in M. THERESIAM animum patefecit CAROLUS ALBERTUS, Bavariae Dux Elector, unicus, qui legi successionis, vivente adhuc Caesare CAROLO, intercessit; iamque non solum ius sibi in *Austriam*, *Bohemiam* et Comitatum *Tyrolis*, hand firmis sane argumentis innixus, arrogabat, sed in ipsum quoque regnum *Hungariae* cum partibus adnexis. — Mox FRIDERICUS II. Borussorum iuvenis ardentis animi Princeps, non servata, qua Sanctionem Pragmaticam pater suus roboravit, fide, fortissima manu *Silesiam* invasit; una tamen, pro cessione florentis huius provinciae, foedus contra quoscunque M. THERESIAE hostes, subsidia belli, FRANCISCO autem Lotharingico suffragium suum offerens, dum de eligendo Romanorum Imperatore ageretur. — Regina *maioris* adhuc in adversa quam prospera fortuna animi — praeter *Deum* unice sanctissimo, nullique dubio obnoxio, *iuri* suo, ac populorum suorum *fidei* confisa, conditiones has cum indignatione constanter reiicit; et, licet aere copiusque sufficientibus destitueretur, collectum, quem per late patentes ditiones sat parcum habuit, armatum militem Friderico opponit; attamen heu! non fausto prorsus exitu. Imo prospera Borussorum fortuna ceterorum etiam hostium animos excitat. — Bavarus superiorem *Austriam* occupat, et iam *Vindobonae* oppugnationem parare videtur; Hispanus ditiones Austro-Italicas filio suo tertio genito, alii alias provincias sibi, vendicare constituunt: omnes autem Galliae Rex innigit in societatem ea lege, ut Bavarus *Bohemiam*, *Austriam* superiorem, *Tyrolim* et *Brisgoviam*; Saxo-

niae Elector Morariam cum superiore *Silesia*; Hispaniae Rex provincias Austriacas in *Italia*, Borussus ducatus in inferiore *Silesia* sitos, Gallia demum provincias Austriae *Belgicas* possidendas acciperent, corona in-super imperiali CAROLO ALBERTO destinata.

Molimina haec inimica agebantur iisdem fere diebus, quibus Status Hungariae Posonium ad Comitia Regni congregati res publicas agebant, convocati a M. THERESIA dupli iam titulo genti Hungarae charissima: utpote quae non solum pacem cum Turcis Belgradini statutam novo tractatu, eventuque secundo, confirmavit, sieque Patriam ab oriente sartam tectamque reddidit; sed enixo iam regnorum haerede masculo, IOSEPHO, optime in se locatam publicae felicitatis spem novo pignore roboravit. — Atque ita factum, ut XXV. die Iunii anni MDCCXLI. Regina Augusta, inter laetissimas populi acclamations, sacro divi Stephani diademate in *Regem Hungariae* inauguraretur.

Finitis inaugurationis solenniis, dum, sub iisdem Regni Comitiis, plura in commune Patriae bonum provide statuerentur, quorum sanctione M. THERESIA de Hungaris optime merita est: editionibus interea Germanicis continuo graviores infausti prorsus ominis nunci Reginae ac Statuum animos percellere. — Quibus Augusta Domina, ab inimicis circumventa, a foederatis Principibus aut destituta, aut prorita, aerario vacuo, provinciis maxima virium contentione iam paene exhaustis, copiis per Borussum attritis, omni spe e tanta malorum colluvie emergendi apud subditos, eosque, qui ei a consiliis erant, iam prope profligata, sola Hungarae fidei ac fortitudinis memoria freta, imperterritum in adversis opponit animum, Ordinesque Regni, in XI^{mam} Septembris diem, ad Se, in Posoniensis arcis palatium arcessit. — Praemissa ibidem per Aulae Cancellarium oratione, quae labefactatum Monarchiae statum aperit, et annunciata Propositione Regia, qua, ut hostium moliminibus occurri possit, Regni auxilia expetuntor: ipsa Angustissima Regina e solio Hungaros suos sic allocuta est: „Agitur de *Regno Hungariae*, agitur de *Persona Nostra*, et *prolibus nostris*, sacroque diademate conservandis. Ab omnibus derelicti, nunc ad Inclytorum

Statuum fidelitatem et priscam Hungarorum virtutem confugimus"
 Oratione hac lacrymis intercepta, doloreque Reginae, per ipsam venustissimi
 oris totiusque habitus speciem ac dignitatem magis etiam conspicuo, seque
 in praesentium animos adhuc efficacius insinuante, Proceres ac Nobiles
 intime commoti, passimque in viriles lacrymas effusi, *VITAM ET SAN-*
GUINEM pro defensione *REGIS MARIAE THERESIAE* unanimi
 voto devovent. — Reversi ad palatium comitiale, leges de conscribendo
 et alendo milite, deque armis per Nobiles sumendis condunt, ac duces
 constituunt. — Dum postea omne regnum apparatibus belli perstrepit,
 Nobiles ad signa concurrunt, vires cohortum militarium insigniter aucturi.
 Interim Saxones *Pragam* obsident, Bavari et Galli iuncti *Lentiam* capiunt,
 et utramque *Austriam*, usque ad *Fanum S. Hippolyti* occupant, hinc vero
 in *Bohemiam* effusi, huius metropolim subeunt; Hispani, *Hetruria* occu-
 pata, cum Neapolitanis in *Lombardiam* prorumpunt; alter Gallicus exer-
 citus in *Germania*, Principibus, qui M. *THERESIAE* succurrere possent,
 obices ponit; Electores Imperii CAROLUM ALBERTUM Caesarem creant.

At nunc legiones Austriacae *Hungarorum* insurgentium copiis auctae,
 miroque fervore in aciem ruentes, belli aleam mox in melius vertunt.
 Pugnatum est ab illis in *Austria*, hostis in *Bavariam* pulsus, *Monachium*
 captum; confecta vero cum FRIDERICO, quocum minus secundo eventu
 bellatum fuit, pace, omni iam vi in ceteros hostes versa, mox *Bavaria*
 integra, deleto pluribus praeliis milite, subacta; *Galli* ipsi, e *Bohemia*
 iam electi, nunc ultra *Rhenum* repressi; *Hispani* ad Campum Sanctum
 victi; demumque foedere *Vormatiae* composito, *Sanctio Pragmatica* ab
Anglia, *Sardinia*, *Belgio* foederato, mox a *Saxonia* etiam, in tuto collocata
 est. — Sola Gallia non quiescente, princeps Austriacarum legionum exerci-
 tus Duce CAROLO Lotharingico Rhenum traiicit, NADASDIO cum primo agmine
 praecedente, LAUTERBURGUM, inexpugnabile fere *Alsatiae* oppidum, mira
Hungarorum virtute cadit. „Quae omnia“, haec ipsius sunt verba Reginae
 ad Palatinum scripta, „post Omnipotentis auxilium, fortitudini, dexteritati
 et prudentiae non nisi dictarum copiarum attribuenda sunt, prout ex

litteris Principis CAROLI cognati mei dilectissimi uberius hic percipietis. Non ignotum quidem vobis est, quantus omni non tempore fuerit, et affectus, et fiducia mea erga *Nationem adeo mihi charam*, persuasumque Vobis erit, et affectum et fiduciam meam maiorem in dies erga eandem fieri, cum in dies specimina maiora habeam, quam parum spes de eadem concepta me fefellerit . . .^a

Res Austriae tam prospere cedentes M. THERESIAE novum bellum concitant. FRIDERICUS enim de *Silesia* nunc sollicitus, cum neo-electo Imperatore, cumque Galliae Rege armorum societatem init, et celeri cursu, hic *Bohemiam* occupat, illic alterum exercitum ad limites *Hungariae* admovet. — Regina, novis his periculis anxia, denuo *subsidiis Hungarorum* confisa bellum continuat. — Horum enim turmis auctus CAROLUS Lotharingicus non multo post Borussos e Bohemia exigit, Carolus BATTHYÁNIUS Gallos et Bavarios profligat; et licet anno sequente MDCCXLV. arma Reginae parum felicia fuerint, bellumque duobus adhuc annis varia fortuna protractum: *Hungari* tamen, contra Gallos et Hispanos in *Italia*, non pauca fortitudinis ac virtutis suae militaris specimina ediderunt; donec pax, anno MDCCCLVIII. composita, diuturnis cruentisve dimicationibus finem imponeret, et una *Pragmaticae Sanctioni* Hispaniae et Galliae ad sensum procuraret. — Omni hoc et subsequuo tempore

Pari alacritate et virtute tulit Reginae *auxilium* gens *Hungara*, memor officii sui per eandem *Sanctionem* suscepti, dum *bellum*, quod *septennale* audit, inter praecipuas Europae potentias emerget; durante quo per varias fortunae vices, in mutuo cum copiis *austriacis* consortio, eadem gens *Hungara* per *auxiliarem militem* suum victoriarum ad *Schweidnitzium*, *Wratislaviam*, *Hochkirchiam*, *Colinum* etc. relatarum magna pars fuerat; uti annales belli huius memorabilis uberius perhibent.

II.

Inconcussa haec gentis *Hungarae* in Augustam Dominam suam fides, quam nec tristis superiorum temporum memoria, nec exhaustae Regni vires, nec infausti saepe fortunae casus, aut callidi hostis artes, labefactare valebant, preciosissimum tulit praemium: fiduciam nempe, maternumque vere amorem, ac studium Reginae, quibus illa Hungaros non minus, quam ceteros Domui suae olim iam subiectos populos, tantis, et tam generosis fidei et virtutis speciminibus denuo nobilitatos, perpetuo prosecuta est, quibus affectibus ac nobilis animi motivis ducta, omnem vitam in tenerrima Regni cura consumpsit.

Iam in primo generali conventu anni MDCCXLI. lege huius anni VII^a pollicita est: „nihil se eorum intermissuram, quae ad reducendum pristinum florem ac felicitatem huius haereditarii sui *Hungariae Regni* conferre poterunt.“ — Et profecto totum fere huius anni decretum in id tendebat quam maxime: ut *abusus* qui temporum lapsu in administratione publica regni huins invaluerant, quo ocyus tollerentur. — Quibus sensim *prospero* successu abolitis — aliisque quam *plurimis meritis* suis id tandem *praemii* instar consecuta est *Augusta Domina*, ut regni huius abhinc laetissime efflorescentis non tam *restauratrix* quam *conditrix* palam ac publice dici meruerit. — Enimvero tanta spatio XL annorum perfecit, quae ad dignitatem et ornamentum Regni, ad augendas populi opes, ad alleviandam inque tuto collocandam rusticorum conditionem, ad

stabiendum rectam iustitiae administrationem, et ad provehendam animi et vitae culturam conferunt, ut Annales Patriae, de singulo fere, quo gubernacula regni tenebat, anno, nova et paeclara facta et instituta magnae huius Reginae referre, ac condigne celebrare vix sufficient. — Liceat nonnullorum ex his, laetam nobis semper, nonnihil hicce instaurare memoriam!

En *Buda*, metropolis quondam Regni, iam vix rudera antiquae magnificentiae referens! — M. THERESIA, pia praeteritorum temporum recordatione dueta, sed non minus multum in futurum prospiciens, palatium Divorum Regum antecessorum suorum, iactis eius, ipsa natali sua die fundamentis, novo splendore resurgere fecit; Ipsa vero Regnum sibi tam charum crebrius invisendo, creberrime vero Posonium, Comitiorum, administrationis publicae, procerum plurimorum, ipsiusque charissimae suae filiae, MARIAE CHRISTINAE, splendidam eotum sedem, secus etiam seat Regnum Dominae propinquitate situs commendantem, Augusta sua praesentia recreando, Majestatis, gratiae ac munificentiae regiae radios quaquaversum effudit. — Decus Maiestatis Regum Hungariae auctura, titulum *Regis Apostolici*, Statori quondam Regni Divo Stephano a Sede Apostolica tributum, pridemque iam oblivioni datum, annuente Summo Pontifice, postliminio recepit, ac etiam ad Successores Reges haereditario iure transmisit. — *Transylvaniam*, temporum iniuria multifarie neglectam, *Magni Principatus* nomine decoravit. — Praeter memoratum iam Insignem Ordinem S. Stephani, Nobilem quoque turmam Praetoriam Hungaricam instituit, et *Aulae* quos nominant *familiarium* vetus et diu iam obliteratum institutum resuscitavit.....

Catholicam Ecclesiam erectis riteque dotatis septem Episcopatibus locupletavit; ut sua ubique religioni eiusque ministris constet reverentia, magnopere egit; sacram Divi Regis *Stephani* dexteram a *Ragusanis*, apud quos ultra duo secula exulabat, sibi reddi summis precibus obtinuit, eamque, solenni pompa *Budam*, in oratorium regiae arcis, delatam, perpetuo gentis cultui restituit. —

Rei iudicariae per *Planum Tabulare*, i. e. collectionem decisionum et praeiudiciorum Curiae Regiae, quae rite digesta, ubi leges deficiunt, in decidendis causis normae instar servire possint, succurrit.

Iustitiae et aequitati simul satis fecit, grandemque prorsus humanitati operam praestitit, dum mutuas *dominorum* et *colonorum* relationes ad certas normas revocando, et illorum arbitrium iustis cancellis circumscripsit, et horum prosperitati per s. d. *Urbarium* clementer providit. —

Nec minus commodo publico consuluit, quoad pro ratione temporum fieri potuit, dum rei rusticae salutaribus dispositionibus adfuit; colonias in vastas, habitatoribus destitutas terras deduci fecit; paludes siccandas, annum cursum ordinandum; industriam, quaestum levandum, fodinas melius instituendas curavit; telonia, intra ipsos regni limites constituta sustulit; rei sanitatis et pauperum optimo consilio et mira munificentia prospexit. —

Quid de augenda, imo ex integro neo-constituta per M. THERESIAM *re educationis et institutionis publicae* dicam? — Antea palestrae literarum: gymnasia, academiae, universitas, ac in his institutiones literarum, ingenio potius medii aevi, quam seculi huius XVIII. accommodatae; scholae populares paucissimae, et praeter legendi exercitationem ad solam paene religionis elementorum expositionem restrictae: en imago rei scholasticae, dum Augusta solum concendit. — Quae iam nova studiorum facies? — Omnis *publica* institutio sumtu et consilio publico administrata. — Scholae minores, instruendis in rebus ad vitam necessariis prolibus per omne regnum constitutae. — Optima genera institutionum in gymnasia introducta. — In maioribus scholis non solum artes liberales, sed graviores etiam disciplinae, magna cura, traditae. — Arti salutari scholis medicis consultum. — Doctores per praefectos studiis regendis magna diligentia, e viris etiam laicis, delecti. — Apparatus omnigenus disciplinis rite explanandis vel in praxim deducendis serviens acquisitus. — Libri didactici omnis generis scripti. — *Universitas* literarum, a M. THERESIA fundata potius, quam instaurata, e finibus regni *Budam*, in medium Hungariam,

inque regium palatum, die ipso felicis Reginae inaugurationis anniversario, translata, ut hinc radii culturae animorum, pari facilique cursu, in omnem patriam dimanarent. —

Favor hic, quo Regina literas amplexa, beneficia, honores, stipendia, quibus eruditos prosecuta est, his, ut libros quo plures melioresque elucubrarent, calcar et stimulum addiderunt. — Illustrē sane aevum, quo, in omni fere disciplinarum genere tot et tantos, merita laude celebratos, coluit Hungaria viros; fundamentaque, lactioribus in dies successibus, florentis hodie apud nos rei publicae literariae felicissime iacta sunt. —

Quid mirum, quod tanti, et divini plane animi Domina, sopito tandem veteri Reges inter et Regnum dissidio, non fidem solum, sed et fiduciam, ac corda ipsa Hungarorum tenerimi amoris et grati animi sensu sibi obstrinxerit? Quidve mirum, quod omnis Hungaria M. THERESIAE mortem eo doloris sensu intellexerit, tamque acerbo luctu prosecuta sit, quasi, ut cum historiographo eius regio loquamur: „*COMMUNIS OMNIBUS MATER*“ erepta fuisset, quod nomen ei p̄ae illo „*Magnae*“, ex assentatione ut plurimum orto, grata posteritas merito tribuit. —

III.

Praemissa hac brevi adumbratione regiminis Aug. Imp. ac Reginae, unum e tantis teneri eius hoc in regnum amoris indicium, imo „monumentum aere perennius“ — ut iam eo, unde narratio orsa est, revertamur — *Constitutio Insignis* illius *Ordinis equestris* fuit, cuius, hodierna die, ter laetis auspiciiis, *secularis memoria*, hac cum solennitate recolitur.

Hoc igitur loco denuo Augustam Principem ipsam *A. Constitutioni* huius Ordinis pro dignitate obiecti praefantem audire: imo leges eidem Ordini dictatas ex authenticō Codice exscriptas propius expendere: dein *B. Inaugurationem* primam Ordinis ac *successivam* pér subsequos ordine suo Magnos Magistros spatio unius seculi factam illustrium omnis propriae dignitatis ac meriti virorum in *equites Ordinis S. Stephani* cooptationem ex *Albo* eiusdem Ordinis serie *chronologica* sub obtutum sumere, ab hodiernae diei festivitate haud alienum videbitur. —

ORDO EQUITUM S. STEPHANI.

A.

CONSTITUTIONES

IN SIGNIS ORDINIS

E Q U I T U M

S. S T E P H A N I,

REGIS APOSTOLICI.

NOS MARIA THERESIA DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATRIX,

AC GERMANIAE, HUNGARiae, BOHEMIAE, DALMATIAE,
CROATIAE, SLAVONIAEQUE etc., REGINA APOSTOLICA, AR-
CHIDUX AUSTRIAe, DUX BURGUNDIAE, SUPERIORIS ET
INFERIORIS SILESIAE, STYRIAe, CARINTHIAE, CARNIOLIAE,
MARCHIO SACRI ROMANI IMPERII MORAVIAE, BURGOVIAE,
SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIAE, COMES HABSPURGI,
FLANDRIAe, TYROLIS ET GORITIAE, LOTHARINGIAE ET
BARRI DUX, MAGNA DUX HETRURIAE, INSIGNIS ORDINIS
SANCTI STEPHANI REGIS APOSTOLICI MAGNUS MAGISTER

ETC ETC.

in perpetuam memoriam:

Nunquam sane dedito Haereditariorum Regnorum ac Provinciarum
Nostrarum gloriae ac commodis animo Nostro magis pleniusque satis-
factum esse sentimus, quam cum Nostram, in illas, benevolentiam, non
modo novis accessionibus cumulare, verum publicis, ac ad ipsam poste-
rorum memoriam transituris, firmare possumus monumentis.

Atque hinc factum, quod superioribus annis, Nominis Nostri digni-
tate donatam, Militaris Equestris Ordinis societatem, ea ratione, institu-

tam esse voluerimus, ut ex iis, quibus per Nos decorata est, amplissimis sane honoribus atque ornamentis, nemo non facile intelligere posset, quanta eos, qui de MAIESTATE DOMOQUE NOSTRA bene meruerunt, benignitate complectamur.

Quoniam vero imperii dignitas et gloria, Regnorumque publica tranquillitas, fide, consilio atque opera eorum, qui ad civiles Reipublicae partes constituti sunt, non minus quam fortitudine atque armis sustineantur; aequum esse existimavimus in ampliorem NOSTRAE erga hunc egregie meritorum Civium ordinem benevolentiae significationem peculiare quoddam publicae laudis ac honoris insigni decoratum constituere praemium.

Quod posteaquam ita in animum induxissemus NOSTRUM, nihil institutionis huius dignitati convenientius Nos facere posse arbitrabamur, quam si Civilem hunc Ordinem S. STEPHANI, Regis Apostolici, qui nempe hoc Regnum, quod Nos haereditario iure tenemus, sapientia et fortitudine constituit, virtute ac pietate firmavit, gloriosi nominis decoraremus inscriptio: quo ita, tam NOSTER, erga Divum hunc Hungariae Regem, cultus ac pietas, publico hoc testimonio, confirmetur; quam vero per eum instituti, iam primis illis temporibus Equitum Ordinis memoria, non modo iterum restituatur, verum praeterea, NOSTRA munificentia ac liberalitate, amplior pleniorque efficiatur.

Atque ut Ordinis huius celebratio eiusque memoria, digno ac convenienti Materno animo Nostro consecretur temporis monumento, nullum eius instauracioni magis congruere tempus existimavimus, atque hoc, quo Dilectissimi Filii nostri, Serenissimi Archiducis Ioseph, in Regem Romanorum inauguratio, tam NOS ipsis, aequissimi solatii, quam vero omnibus fidis subditis Nostris, publicae laetitiae, amplissimum praebet argumentum.

Ut autem NOSTRA haec institutio, quemadmodum eius exigit indoles, certo stabilique nitatur fundamento, in mandatis dedimus Ordinis huic Cancellario, ut ea, quae huc pertinent, certis legibus ac statutis comple-

tantur. Quae etiam in deliberationem sumta, atque per MAIESTATEM NOSTRAM benigne approbata, omnibus Ordinis huius Equitibus, nunc et futuris temporibus, pro firma ac perpetua norma, esse volumus. Sunt vero haec, quae sequuntur, Constitutionum NOSTRARUM Capita:

C A P U T I.

Equestris hic Ordo geret titulum SANCTI STEPHANI, Regis Apostolici, atque eius Membra, *Equites S. Stephani, Regis Apostolici*, peculiari nomine vocabuntur.

C A P U T II.

MAGNI MAGISTRI Dignitas, Regni Hungariae Coronae, perpetuo atque arctissimo nexu, coniuncta maneat, neque ullo tempore abs ea seiungi dividique valeat: atque ideo, donec *DEO O. M.* vitae NOSTRAE annos producere placuerit, Nos, postea vero legitimi in Regno Hungariae Successores Nostri, hac Regiae MAIESTATI consociata auctoritate defungentur.

C A P U T III.

Ordinem hunc constituent *Equites centum*, viri virtute ac meritis conspicui, genere nobiles, qui in *tres Classes* distribuuntur.

In prima censemur *Equites viginti*, qui vocantur *De Magna Cruce*.

In altera Classe ponuntur *Commendatores*, quorum erunt numero *triginta*.

In tertiam Classem referuntur *Equites Minoris Crucis* numero *quinquaginta*.

Neque tamen in definitum hao ratione triplicis Classis Equitum numerum veniunt Ecclesiastici Ordinis Viri, pro Nostro Successorumque Nostri arbitrio adlegendi.

CAPUT IV.

Praecipuus autem Ordinis huius finis est, de MAIESTATE REGIAQUE DOMINA NOSTRA comparatorium meritorum publica recognitio. Atque ideo in accepti honoris signum gerent Equites *Crucem auream, octangularem, viridi colore caelatam, atque aurea stria conclusam, cuius area, seu scutulum, rubrae caelatura est*: hi namque bini colores haereditario NOSTRO Hungariae Regno peculiares sunt. Et quia hic Ordo S. STEPHANI, Regis Apostolici, Nomini, per Nos consecratus esset, ea propter in parti eius virtute ac pietate, MAIESTATISQUE NOSTRAE studio renovati APOSTOLICI Tituli memoriam, scutulo incisa esto *Crux argentea duplicata, coronae aureae viridis coloris monti innixa infixa*, cuius duo latera explebunt litterae M. T. MAIESTATIS NOSTRAE NOMEN, atque una, NOSTRAM, erga hunc ordinem, singularem benevolentiam indicantes. Legetur praeterea, in hac eadem facie, incisum hoc lemma: *PUBLICUM MERITORUM PRAEMIUM*.

In altera autem Crucis parte, *scutulo, albo colore caelato, hae, querina corona septae*, atque Ordinis titulum indicantes, voces incisae sunto: *SANCTO STEPHANO, REGI APOSTOLICO*.

Praedicta autem publicorum meritorum declaratio, hand ita accipi debet, quasi ceterorum, de Nbris bene meritorum, fidelium NOSTRORUM servitia, a Nbris, non aequi faventi animo recognoscerentur: at quia non desunt MAIESTATI NOSTRAE plures variique bene meritos praemiandi modi et rationes; ideo, cum *centum* haec publicorum praemiorum insignia constituimus, eo unice intendimus, ut gratiarum NOSTRARUM aerarium, nova hac accessione, auctius locupletiusque efficiatur.

CAPUT V.

Crucis, quae in signum Equitibus erit, duo statuimus genera: unam Maiorem, Minorem aliam; ut exempla ostendunt. Illam primae et Commendatores; hanc tertiae Classis Equites gestabunt.

Ut vero quodlibet horum Equitum genus, aperto convenientique discerni possit equestris dignitatis ornamento, symbolum *Equitis Maioris Crucis*, pendebit ex sericea ad palmum unum lata, ac per medium rubra, utrinque autem viridi colore conclusa, atque a dextro in sinistrum latus per humeros transversum projecta taenia. *Commendatores de collo; Minoris autem Crucis Equites* ex nodo vestium, utriusque tamen, in eiusdem coloris, priori angustiori, ligula, signum gerent.

Ecclesiastici autem, *primae et secundae Classis* symbolo insignes, id, pro more, de collo pendulum habebunt: *Tertiae vero Classis*, quemadmodum ceteri Equitum, vesti innexum deferent.

Praeterea *Maioris Crucis Equites*, tam *Seculares*, quam *Ecclesiastici*, phrygia arte confecto argenteo symbolo, cuius medium, ordinis signum, serto ex quercinis foliis texto, circumactum occupabit, ornabuntur.

C A P U T VI.

Et quia ii, qui vetusti generis claritate, atque, quae gerunt, praecipuorum officiorum dignitate sunt conspiciui, ampliorem vicinioremque, de MAIESTATE Augustaque DOMO NOSTRA, bene merendi habent opportunitatem; et alioquin prius, atque ad ea, quae praeceteris honorificentiora obtinent, subsellia evecti sunt, complura, eaque distincta, sibi eos comparare oportuit merita: ideo *Maioris Crucis*, et *Commendatoris signum*, pro NOSTRO arbitrio conferendum, praecipue quidem his; verum tamen *Commendatoris symbolum* etiam aliis, in praecipuis Aulae Regnorumque ac Provinciarum NOSTRARUM officiis adhuc non positis, pro comparitorum meritorum ratione; *Minorem denique Crucem*, ceteris bene meritis Nobilibus, in publicum honorem constituimus.

Si tamen eorum, qui in posterioribus duabus classibus censentur, aucta cumulataque merita amplius expetere viderentur praemium, id, quod merito suo tenent, publicum insigne, altioris gradus consecutionem faciliorem reddet.

CAPUT VII.

Ut autem certa stabilisque, inter Equites, *loci ac ordinis sit norma*, quemadmodum *Maioris Crucis* ceteros, *Commendatores* vero, *Minoris Crucis Equites*, ipsa dignitate, praeeunt: ita omnia haec tria Equitum genera, inter se, iuxta tempus receptionis, in congressu, aut publica solennitate, congruum vetustati creationis locum occupabunt.

Si vero plures eadem die in sodalitium allegi contingat, qui prius ordinis signo decoratus est, alterum praebit; adeoque *ipsa vetustas accepti honoris norma reputabitur*.

CAPUT VIII.

Solenne ordinis huius Festum, singulis annis, publice celebrandum, diem S. STEPHANO, REGI APOSTOLICO, sacrum constituimus, cui singuli Equitum, nisi iusta impedianter causa, interesse, sacraque, praescripto rito ac modo, peragere tenebuntur.

CAPUT IX.

Exigit Equestris Ordinis huius institutio, ut peculiari, ac eius dignitati accommodato Equites gaudeant amictu. Eapropter volumus, ut, cum publica Ordinis solemnia agentur, singuli eorum, largis ac in cuspidem desinentibus manicis instructo, atque in terram defluente, viridis coloris, holoserico pallio utantur; quod muris pontici pellicula septum, coccineique coloris tela subsarcinatum esto.

Interiorem vero *togam mitramque*, ex rubro coecinei coloris holoserico, et pelle muris pontici circumductam, plumisque ardeae, rubro viridiisque colore caelatae capsae insitis, ornatam habebunt.

C A P U T X.

Ut autem, quemadmodum dignitate et gradu, ita etiam vestium ornatu, Equites discernantur: *Maioris Crucis*, tam oram pallii, quam etiam galerum, ad constitutam latitudinis mensuram; internam autem vestem, phrygia arte, iuxta exemplar, dispersis quercinis foliis, intextam obtinebunt.

Commendatores, ad fimbriae formam adcommodata, utentur phrygiae acus pictura.

Pallium *Equitum Minoris Crucis*, auri, sed altero multum angustiori, circumdabitur ornatu.

Acus autem phrygiae opus, inter se nexa, quercus folia referet. Huius enimvero arboris, iam ipsis Romanorum temporibus, in civicae coronae usum, designata folia, Civilis Ordinis huius ornamento maxime congruere arbitrabamur.

Item, *Maioris Crucis Equitibus*, TORQUEM AUREAM, in maius ornamentum attribuimus, quae, ut tam Ordinis fini, qui nempe in publica meritorum recognitione ponitur, quam vero Nostrae, erga eius membra, peculiariis benevolentiae magnitudini respondeat, hac ratione eam fabrefactam esse volumus:

Grandiores litterae, ex puro auro confectae, S. STEPHANI, REGIS APOSTOLICI, Nostrumque NOMEN referentes, intercedentibus, haereditarii Nostri Hungariae Regni, coronis, iunctae sunt. Medium, hac ratione, nexae catenae, explebit aurea Aquila, peculiare Domus Nostrae symbolum, cum inscriptione: *STRINGIT AMORE*. Ex hac vero Crux in Ordinis signum, per Nos superius designata pendebit.

Utentur vero *Maioris Crucis Equites* torque aurea, non modo Festo Ordinis, cum nempe solenni vestitu induentur, verum quoties, ut ad Aulam Nostram, qua Ordinis huius membra compareant, Nostro eis iussu indicetur.

CAPUT XI.

Nemini, verum unice **NOBIS**, qua **SUMMO ORDINIS MAGISTRO** et **Coronae NOSTRAE Principi**, qua in hac dignitate certo successori, fas est, vestem, aut signum Ordinis, nisi a **NOBIS**, in ampliorem benevolentiae **NOSTRAE** significationem, donatum obtinuerit, gemmis aut unionibus exornatum deferre.

CAPUT XII.

Ut autem haec Equitum societas, sua, pro instituti natura, habeat officia, hi, qua praecipui, per Nos, in Ordinis ministerium constituti sunt:

PRAELATUS ORDINIS, qui ex viris, in eminentiori Ecclesiastica dignitate constitutis, per Nos, qua **SUMMUM ORDINIS MAGISTRUM**, nominabitur. Ad huius munia pertinet, cum Festum Ordinis agetur, consueta sacrorum solennia peragere.

CANCELLARIUS ORDINIS. Huius partium est, tam in capitulo Ordinis quam vero, cum solenni ritu Equites creantur, publice verba facere; iurandi verba paelegere, **NOBISQUE**, qua **SUMMO ORDINIS MAGISTRO**, modo ac forma praescripta, receptionis solennia peragenti ministrare; negotia Ordinis, quemadmodum res exigit, scripto aut voce referre; decreta in formam ac stylum redigi curare: qua de causa Ordinis sigillum sibi traditum habebit.

Et quoniam, qua Rex Hungariae, Ordinis huius **MAGNI MAGISTRI** dignitatem suscepimus, Cancellariatum Ordinis, cum Hungarico-Aulici Cancellarii Nostri officio, in perpetuum, atque ita coniunctum esse volamus, ut cum mutatione Cancellariatus aulici illico munus Cancellarii Ordinis cesseret; cum collatione autem illius, hoc quoque officium collatum censeatur. Hos sequuntur:

SECRETARIUS seu GRAPHIUS, ad cuius provinciam pertinet: Ordinis album curare, eique, quae ad hoc institutum pertinent, fide integra inscribere;

decreta collati Ordinis conficere; supplices candidatorum, designando ad hoc libro, inserere; atque scripta in archivio Ordinis suo loco conservare; utque opera constituti in hanc rem peculiaris scribae nitide describantur, diligent studio providere; praeterea munia Equitis, ad quorum observantiam iurisiurandi religione se obstringet, praelagere.

THESAURARIUS, qui diligent studio, credita sibi Ordinis supellectilia atque ornamenta custodire; item Equestris amictus curam gerere; praeterea de taxa, ex qua vestes Ordinis Equitibus parabuntur, singulis annis, Nobis, qua SUMMO ORDINIS MAGISTRO, accuratas rationes reddere tenebitur.

Admittimus autem, ut *Graphius et Thesaurarius*, Minoris Crucis insigne cum his officiis coniunctim gerere valeant.

HEROLDUS. Hic, cum solennia Ordinis agentur, bullam insignia NOSTRA referentem, gestabit. Vestibus vero utetur iisdem cum Minoris Crucis Equitibus.

ORDINIS CANCELLISTA. Huius partium est, scripturas conficere, atque, in rebus Ordinis negotia tangentibus, *Graphio et Thesaurario* opera sua adesse, eosque adiuvare.

Et haec officia, ad demissam Cancellarii Ordinis propositionem, per Nos, qua SUMMUM ORDINIS MAGISTRUM, conferentur.

CAPUT XIII.

Cum Praelatum, aut Cancellarium Ordinis, gravi aliquo negotio impediti, aut valetudine, a peragendo munere suo prohiberi configerit, in Praelati vicem alium designare ad Nos, qua MAGNUM ORDINIS MAGISTRUM, unice pertinebit.

Cancellarii autem partes, quoniam, cum officio Aulici Cancellarii, hoc munus per Nos in perpetuum coniunctum foret, eius vices gerens supplebit.

Graphii vero, aut Thesaurarii vices acturum, Ordinis Cancellarius, facta idcirco Nostis insinuatione, surrogabit.

CAPUT XIV.

Vestientur autem Secretarius et Thesaurarius amictu Equitum Minoris Crucis.

CAPUT XV.

Ut autem, non modo Ordini huic sua constet dignitas, sed etiam *Equites, Nostrae* erga se peculiaris benevolentiae, ampliora accipiant argumenta, benigne annuimus, ut, cum in urbe residemus, in recessu, seu *Retirada*; cum vero Schönbronni commoramur, in conclavi, quod *Spiegelzimmer* dicitur, quin pro more, supremo Camerario Nostro, se idcirco insinuare teneantur, ad MAIESTATEM Nostram accessum, sive, ut dicitur, audienciam habere possint.

Minoris Crucis Equitibus autem, die, quo solennia Ordinis aguntur, praeterea, ubi ad manus Nostrae osculum, cum adventu discessuque suo admittuntur, ad triclinium, quod communi voce die geheime Raths-Stube nuncupatur, quo nempe *Magnae Crucis Equitibus et Commendatoribus* venire omni tempore liberum est, ingressus concedetur.

CAPUT XVI.

Praeterea *Minoris Crucis Equitibus*, non solum, cum publica ad Aulam Nostram solennia aguntur, ad consueta, uti vocantur, *Apartamenta*, verum etiam, cum minores lusus sunt, seu minorā *Apartamenta*, accedendi honorem, in maiorem affectus Nostri significationem, tribuimus.

CAPUT XVII.

Si *Magnam Crucem*, pro singularium meritorum ratione, tali conferri contingat, qui *Actualis Intimi Consiliarii* honore insignitus

non foret, illi, honoris huius accessionem; *Commendatoribus* vero, *Decretalis Intimi Consiliarii*; *Minoris Crucis Equitibus* autem, etiam Comitum honorem, pro ratione circumstantiarum, de quibus iudicandi arbitrium Nobis reservamus; Baronatum vero, singulis eorum, ea propter supplicantibus, et quidem omnes hos honorum gradus, sine ulla taxae depositione, conferemus.

C A P U T X V I I I .

Omnibus Nostris Dicasteriis in mandatis dabitur, ut, cum ad *Equites* ex publico scriptum fuerit, ceteris, quibus gaudent, etiam *Ordinis Titulus* adiungatur.

C A P U T X I X .

Cum vero NOSTRO, tanquam MAGNI ORDINIS MAGISTRI, Nomine, decreta expedientur, pro maiori NOSTRAE, qua eos complectimur, benevolentiae significatione, Magnae Crucis Equitem, *Cognati Nostrai* nomine compellari admittimus.

C A P U T X X .

Quo die Ordinis solennia publice celebrabuntur, *Maioris Crucis Equites*, Ordinis amictu induti, ad mensam MAIESTATIS NOSTRAE, qua MAGNI ORDINIS MAGISTRI, ad prandium admittentur: *Commendatores* vero, et *Minoris Crucis Equites*, per Dapiferorum Regalium Magistrum, in Aula NOSTRA, Regio prandio excipientur.

C A P U T X X I .

Liberum integrumque sit singulo Equitum, Ordinis symbolo, gentilitia, quae habet, signa ornare, atque hac accessione auctis insignibus, usque dum vixerit, ubique locorum uti.

CAPUT XXII.

Concedimus praeterea cuilibet Equitum facultatem, plura Ordinis signa, suis sumtibus sibi procurandi, ea tamen lege, ut Cancellario Ordinis id prius insinuetur.

CAPUT XXIII.

Et quia praemia non factis modo, sed etiam generi et dignitati personae adcommmodari deberent, atque cum ex hac ratione, uti iam praemissum est, Magnae Crucis honorem, utpote supremum, in hoc Instituto, Nostrae erga egregie meritam Nobilitatem benevolentiae monumentum, iis in praemium decrevissemus, qui officii, quod gerunt, amplitudine et vetusti generis claritate sunt insignes: ideo, ut *Maioris Crucis Candidorum*, generis, saltem per quatuor gradus, vetustas constet, est necesse. Reservamus nihilominus Nobis Successoribusque nostris, in constitutis gradibus, pro ratione peculiarium meritorum, dispensandi potestatem.

CAPUT XXIV.

Sub nomine autem Nobilitatis, minime intelligimus Comitum, aut Baronum, verum illud Nobilitatis genus, quod in provincia, ex qua Candidatus ortum dicit, locum habet.

Sub hanc tamen, generis sui vetustatem demonstrandi necessitatem, non veniunt, qui Camerarii honore iam decorati sunt, quoniam hos, vetusto genere natos esse, satis constat.

CAPUT XXV.

Ut autem in creandis Equitibus, pari ratione, constans et certa habeatur norma: illam sequenti modo instituendam ordinamus. Nempe:

Posteaquam ex litteris Ordinis Cancellarii *Candidatus*, Nostram de se recipiendo mentem ac voluntatem cognoverit, die ac hora designata, ad Capitulum, cui omnes Ordinis Equites atque etiam Officiales assistent, Ordinis veste amictus, comparebit, Nostrumque in Anticamera de suo ingressu mandatum expectabit.

Solennia vero Capituli hac ratione peragentur: Posteaquam designatam Nobis sub Throno sedem occupavimus, Ordinis Cancellarius, ante Thronum Nostrum Regium, se in genua submittens, mandatum expetet, quo accepto Heroldus Ordinis Candidatos adducet, qui se, constituto ordine, collocabunt.

Post Cancellarius Ordinis, brevi atque adcommodo sermone, mentem atque voluntatem, Nostram, et Capituli, quod celebratur, finem exponet, Candidatosque, ad praestandum Ordinis iuramentum, admonebit, una nomina eorum recitabit. Tum Graphius Ordinis, ad quae observanda Equites iurejurando se mox obstringent, clara voce perleget. Quo facto Equites eo, quo lecti sunt, ordine genuflexorium accedent, et concepta iurisiurandi verba, praeeunte Cancellario Ordinis, palam ac publice, coram Crucifixo, flexo poplite, deproment; atque inde ad designatum locum se recipient.

Postquam omnes se Sacramento obstrinxerunt, his, quae sequuntur, verbis, per Nos, qua MAGNUM ORDINIS MAGISTRUM, ad observandam datam fidem, commonebuntur:

Quam Iurisiurandi Religione prompti voristis observantiam et fidem, illam, ut strenuos ac honoratos decet Equites, omni loco ac tempore, vos integrum servaturos prorsus non ambigimus. Recepturi igitur de manu Nostra, per Nos, vobis designatum Ordinis signum, eorum, quae nunc Religione spoondistis, inviolabilem memoriam conserveate. Nos autem gratiam et benevolentiam Nostram vobis confirmamus.

Et hac ratione finito Capitulo, ad Conclave Nos recepturi sumus. Equites vero cum Officialibus, in palatio, quod Rathes-Stube dicitur, remanebunt, Nostrumque exitum illic expectantes, ad vesperarum solennia, Nos comitandi honore fungentur.

CAPUT XXVI.

Candidati, Ordinis veste induiti, usque diem receptionis, cum signum Ordinis nondum obtinuerunt, qua *Novitii* considerentur, atque ideo, non inter ceteros Equites, cum ad sacellum descensus instituetur; verum ante Ordinis Officiales procedent.

CAPUT XXVII.

Liberum esto MAGNO ORDINIS MAGISTRO, Candidatum a iurisiurandi religione, pro suo iudicio, dispensare.

CAPUT XXVIII.

Ordinis vero collatio, seu in sodalitium receptio, die S. STEPHANO, Regi Apostolico, saera, sub Throno Regio, solennitate, in Directorio speciatim declarata, peragetur. Et quidem, postquam Cancellarius Ordinis a Nobis idcirco mandatum obtinuit, ad praesentes, atque Ordinis Candidatos, directum, brevem sermonem recitabit. Inde Candidati ordine Thronum Regium accedent, atque Maioris Crucis Eques, torquem auream; Commendator autem, ligulam Ordinis, per Nos, eius collo imponendam, accipiet: Minoris Crucis Equites vero, Ordinis symbolum, NOSTRA eis manu consignandum, ipsi sibi innectent.

Utemur autem in traditione symboli, ea, quae sequitur, verborum formula: *Accipe signum Ordinis Equitum S. STEPHANI, publicum SINGULAREM* (cuim tamen particulae, in receptione Magnae Crucis Equitis tantum, usus erit) *Meritorum tuorum testimonium ac praemium, illudque semper appensum gerito, ut nempe, quid DEO, Nobis, DOMIQUE NOSTRAE, atque Ordinis huius dignitati, debeas, honoris, quem a Nobis hodie acceperisti, magnitudine monitus, nunquam ignorare possis.* Commendatori autem et

Minoris Crucis Equiti loco: *Honoris magnitudine*, dicetur: *Honoris quod a Nomis accepisti, Insigni monitus.*

C A P U T XXIX.

Peracto hoc modo, receptionis actu, in signum peculiaris benevolentiae, Magnae Crucis Eques, MAGNI ORDINIS MAGISTRI amplexum recipiet, ceterique pari signo, suum, erga novum consodalem, testabuntur affectum.

C A P U T XXX.

Diploma receptionis, Maioris Crucis Equitibus, in forma libri, Commendatoribus vero et Minoris Crucis Equitibus, patenter confectum, ac per MAIESTATEM NOSTRAM, qua MAGNUM MAGISTRUM, atque Ordinis Cancellarium, item Secretarium subscriptum; cum hac tamen discrepantia, quod Commendatori, cum pendenti; Minoris autem Crucis Equiti cum impresso sigillo expedietur.

C A P U T XXXI.

Iam vero, ut cuique Equitum sua constent munia, singulo statuta Ordinis per Cancellarium tradentur, tenebunturque Equites, quae iure iurando polliciti sunt, fide integra ac omni studio explere.

C A P U T XXXII.

Signum Ordinis, praescripta ratione, semper gestabunt, neque licetum erit cuiquam absque illo in publicum comparere, uti nec alicuius extranei Principis Ordinem, huic iunctum, deferre.

CAPUT XXXIII.

Cum vero quempiam Equitum Maioris Crucis a vita decedere contigerit, eius haeres, torquem auream, MAGNO ORDINIS MAGISTRO referre; ceterorum vero Equitum successores, Ordinis Insigne, Thesaurario trahere, aut transmittere tenebuntur.

CAPUT XXXIV.

Officii Equitum erit, die festo Ordinis, ad primas vesperas, ac etiam ad Missae Sacrificium, singulo anno, prima, post festum S. STEPHANI, Regis Apostolici, die, pro vita functis Equitibus celebrandum, nisi gravi de causa impedianter, comparere, et solennitati interesse.

CAPUT XXXV.

Praeterea decretis, quae NOMINE NOSTRO, qua SUMMI ORDINIS MAGISTRI, in forma authentica expedientur, iureiurando promissam observantiam praestare.

CAPUT XXXVI.

Ut vero certa atque stabilis, tam in Equitum receptione, quam vero agendis Ordinis solennibus, sit norma: super ceremoniis, in solenni Equitum receptione, atque festo Ordinis die, observandis, Directorium per Nos approbatum, confici, atque hic adnecti iussimus.

Atque hae sunt INSIGNIS huius, per MAIESTATEM NOSTRAM, constituti EQUITUM ORDINIS praecipuae, quibus omnis illius nititur institutio, Leges, atque Statuta.

Quae, quemadmodum Nos observatura sumus, pariter etiam, per omnes, in haereditario NOSTRO Hungariac Regno, Successores Nostros

observari volumus. Si tamen in iis aliqua obscuritas, dubitatio aut difficultas oriretur: explicandi, declarandi, atque interpretandi, controversiasque determinandi auctoritatem, NOBIS, NOSTRISQUE Successoribus reservamus; liberumque praeterea NOBIS illisque relinquimus, haec ipsa Decreta et Statuta novis accessionibus augere, atque illa, pro ratione temporum, ac pro maiori Ordinis huius dignitate et commodis pleniora efficere.

Ut autem publica haec institutio perpetuo sustineatur monumento, iussimus, tria authentica, in forma diplomatica, atque eiusdem fidei ac roboris, subscriptione, propriae Manus NOSTRAE, firmata exempla confici. Quorum unum in *Archivio Ordinis*; alterum in *publico Regni*; tertium autem in *Cancellariae NOSTRAE Regiae Hungaricae Archivio*, in perpetuam memoriam, conservanda esse volumus.

Datum in Archi-Ducali Civitate NOSTRA Vienna Austriae die 6
Mensis Maii Anno Domini 1764.

MARIA THERESIA.



Comes Franciseus Eszterházy.

Comes Josephus Keglevich.











B.

INAUGURATIO ORDINIS

Anno MDCCCLXIV. diebus V. et VI. Maii in Aula Imperatricis et Reginae peracta fuit.

Augustissima primum hoc Ordinis festum die natali secundo geniti filii, Serenissimi Archiducis *LEOPOLDI* celebrari voluit.

Primus erat Serenissimus Romanorum Rex, et haereditarius Regni Hungariae Coronae Princeps *JOSEPHUS*, cuius collo Imperatrix et Regina, qua Summus Ordinis Magister, die V. Maii, in recessu palatii sui, torqueum auream, ex qua magna crux pendebat, sua manu imposuit. Post haec, hora a meridie quinta, Candidati Ordinis, ad Aulam evocati, hicque Ordinis amictu induti, e conclayi exteriore per Heroldum in secretum triclinium, iuxta dignitatum ordinem, deducti fuere: ubi, Augustissima in solio sedente, brevi Ordinis Cancellarii oratione, honores eis destinati annunciati sunt. Praestito per novos Equites iureiurando, Sua Maiestas latina allocutione primum hoc Ordinis Capitulum concludere dignata fuit.

Mox peragendis precibus vespertinis ad sacellum aulicum solenni processione itum est. Praecedentibus regia puerorum cohorte, Suae Maiestatis Camerariis, dein Consiliariis intimis, Regni Hungariae Baronibus, et Equitibus S. Stephani parvae, mediae et magnae Crucis, cum Ordinis Officialibus, ipsa Maiestas Sacratissima, Magni Ordinis Magistri amictu induta, comitante eam Supremo Curiae Regiae Hungaricae Magistro, magnifice incessit. Excepit Imperatricem Reginam Serenissimus Romanorum Rex, torque aurea Ordinis ornatus, demum Cardinalis Archiepiscopus, et Nuncius Suae Sanctitatis. Post vesperas Augustissimam omnis comitatus ad recessum reduxit.

His praemissis, altera die, utpote sexta Maii

FESTUM RECEPTIONIS

celebratum fuit. Actus ipse solennis in magno palatio peragebatur. Ad dexteram solii, auro fulgentis, suggestus visebatur pro familia Augusta; oecum copia virorum in re publica civili et militari summorum replevit. At nil magnificentius ipsa Imperatricet et Regina, maiestate formae et animi semper incolumi oculos et admirationem devinciente, omnique Reginali Hungariae decore circumdata: Baronibus quippe Regni, summis aulae officiis perfungentibus; Agazonum Magistro ensem evaginatum ante Regium solium tenente; nobilibus praetorianis Hungaris latera aulae stipantibus.

Evocatis nunc, ordine dignatum, Equitibus, post recitamat per Cancellarium Ordinis orationem, Augustissima singulos latine allocuta, et mira gratia indulgentiave signa ordinis his collo imposuit, illis tradidit, eosque ad osculum dextrae admittere dignata est.

Post Sacrum, epulis regiis magnificis festivae Ordinis Inaugurationi finis impositus.

En iam series primorum Sancti Stephani R. A. Equitum:

JOSEPHUS II. REX ROMANORUM

CORONAE PRINCEPS.

PRIMA PROMOTIO.

MAGNAE CRUCIS EQUITES.

FRANCISCUS E COMITIBUS BAKÓCZY DE SZALA, S. R. L Princeps Primas Regni Hungariae et Archiepiscopus Strigoniensis, *ORDINIS PRAELATUS.*

COMES LUDOVICUS DE BATTIYÁN, Perpetuus in Németújvár, Regni Hungariae Palatinus, et Locumtenens Regius.

COMES FRANCISCUS ESZTERHÁZY DE GALANTHA, per Regnum Hungariae Aulae Regiae, ac una *ORDINIS CANCELLARIUS*.

COMES CAROLUS FRIDERICUS HATZFELD, ministerialis Banco-Deputationis et Generalis Cassae Directionis Praeses.

COMMENDATORES.

COMES IOAN. CAROLUS CHOTEK DE CHOTKOVA, Generalis Belli Commisarius.

COMES LEOPOLDUS PÁLFFY AB ERDÖD, Generalis Campi Mareschallus, et supremus armorum per Hungariam Praefectus.

COMES HENRICUS CAIETANUS A BLÜMEGEN, Consilii aul. status intimi Consiliarius.

COMES LUDOVICUS FRID. ZINZENDORF, Camerae rationum Aul. Praeses.

COMES IOANNES VENCESLAUS A PAAR, Generalis Postarum Director.

COMES GEORGIUS FEKETE DE GALANTHA, Procancellarius Regius Hungarico-Aulicus.

BARO IOANNES CHRISTOPHORUS A BARTENSTEIN, Deputationis Aul. in Illyricis Praeses.

COMES IOANNES ANTONIUS A PERGEN, actualis int. Stat. Consiliarius, et plenipot. Minister Caes. Regius in superioribus et inferioribus Circulis Rhenanis.

PARVAE CRUCIS EQUITES.

BARO FRIDERICUS BINDER, C. R. Status Consiliarius, et intimus Status Referendarius.

BARO FRANCISCUS KOLLER DE NAGY - MÁNYA, Personalis Praesentiae Regiae in iudiciis Locumtenens, et actualis intimus Status Consiliarius.

BARO AEGIDIUS VALENT. A BORIÉ, actualis intimus Status ac Imperialis Consilii Consiliarius.

COMES ANTONIUS ESZTERHÁZY DE GALANTHA, Caesareo-R. Camerarius.

COMES IOANNES FORGÁCH DE GHYMES, Camerarius, et Comitatus Csongradiensis Supremus Comes.